



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 40.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Quid igitur sanctis in hac vita præcipitur? perfectio partium, hoc est, fuga hypocrite, & inchoatio obedientie. Quid non præcipitur? perfectus obedientie gradus, quem lex requirit. Hæc sanè cum illis consistere non possunt, quæ de minimis peccatis æternum damnandis, de impossibilitate legis, de omnibus operibus naturæ malis iactare consueverunt.

§. 2. Lutherus, Melancthon impossibile aiunt mandati huius observationem, eosque cuncti pene sequuntur. Sed ratio repugnat & scriptura. Summa enim tyrannis est, imperare, quod scias fieri non posse. Augustinus de naturâ & gratiâ cap. 43. Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis. Et de tempore scilicet. 62. & de Caritis ser. naturâ & gratiâ c. 63. Tyrannis enim est, quæ fieri non possunt, sunt, imperare, & penas exigere.

Iustinus diaiog. contra Tryphonem ostendit naturæ conuenientem esse illam Dei legem. Nam ait gentes etiam non ignorare iniuste se agere, cum in hanc legem committunt, exceptis illis, qui τὰς ἐν νόμῳ ἀπολαύσαντες, καὶ τὸν ὁ νόμον ἔχοντες, ἢ ἀπεχρημένους ἔχοντες, ἰδὼν δὲ ἐστὶν ὅτι τὸς μὴ τὰ νόμον παθεῖν βολόμενοι, ἀπὸ τοῦ νόμου τὸς ἀλλοῦς ἀγνοοῦντες, καὶ ἐν συνειδήσει ἐχθροὺς ταύτης οἰοῦντες ἀλλήλους ἀπὸ τοῦ νόμου ἐκτρέφονται. Naturales notionem perdidit, potius vero exstinxerunt, vel detentas habent. Videre enim est, & eos qui ea pati nolunt, quæ aliis ipsi faciunt, & conscientis hostilibus probo se obiciunt, quæ ab aliis committuntur. Quapropter, addit: pulchre videtur mihi dictum à Domino, & Salvatore nostro Iesu Christo: duobus præceptis impleri omnem iustitiam, & omnem religionem. Sunt autem ista: Diliges Deum tuum, &c.

Opera verū
Christianū
faciunt.

Quia calumniatoribus ille eadem animositate obicit, quod olim Christus, & amorem Dei possibilem astruit. & apol. 2. requirit vitam professioni consentaneam. οἱ δὲ αὖ μὴ ἐνείκωνται βίοντες ὡς ἐδίδαξε, ἡνωμένοι ὡς καὶ μὴ ὄντες χριστιανοί, καὶ λέγοντες ὅτι χριστιανὸν τὸ χρεῖσθαι διδύματα. Qui vero deprehenduntur non ita vivere, ut docuit, cognoscuntur non esse Christiani, et si linguâ Christi doctrinam profiteantur.

Deinde demonstrat Deum operibus, & caritate colendum, quia bonus sit. Addit Nazianzenus oportere esse caritatem proximi comitem. Sicut enim nec corpus sine animâ, nec hæc sine corpore est homo: ita nec dilectio Dei sine caritate proximi, vera caritas esse potest. Ex quo ostendit etiam Iustinus, non probari sibi eos, qui Christiani sunt μετὰ τὸ λέγειν, ἀλλ' οὐ μετὰ τὸ ποιεῖν, solâ professione sine operibus.

§. 3. Calvinus libro 1. institutionum c. 3. §. 83. etiam hanc doctrinam partem corrumpit. Cum enim dicit dicat Apostolum totam sanctorum perfectionem in caritate ponere, Eâ totam legem comprehendit Rom. 13. Eph. 1. Galat. 3. Certum tamen, ait, in lege & Prophetis primum locum tenere fidem. At quid ad Paulum respondebimus dicentem: maior autem horum est caritas. Quid Christo respondebimus: qui ex caritate legem & prophetas pendere pronuntiat? Non est in lege aut prophetis quicquam maius eo ex quo dependent. Fides necessario præcedit, at non est præstantior illo, quo illa, & omnia comprehenduntur.

Tertullianus 1. 5. c. 14. contra Marcionem, rectè & solidè probat, legis auctorem esse Deum, qui est Evangelij. Merito itaque totam creatoris disciplinam principali eius præcepto conclusit: Diliges proximum tuum tanquam te. Hoc legis supplementum si ex ipsa lege est, quis sit Deus legis iam ignoro. metuo ne Deus Marcionis.

Vide etiam Epiphani. contra Marcionem confut. 8. ubi similitudine vititur. Diligi Deum ex corde toto in martyrio docet idem Tertullianus. Proprie (p. 994.) enim martyribus iam nihil reputari potest: quibus in laqueo

ipsa vita deponitur. Sic dilectio operis multitudinem delictorum, quæ Deum solum diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decernit, ex totâ animâ suâ quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit.

§. 4. Amorem sui mandare vnicuique, nihil necesse erat. Nimirum enim fere, quilibet se deamat. Eo tamen nos amore diligere iubemur, ut salutem nobis æternam non optemus modò, sed ea etiam adhibeamus, quibus eam assequamur. Calvinus sophistas reprehendit, qui priores partes τὴν ἐκείνην concedunt, ut amor nostri sit regula amoris ergo proximum. Rationem reddit. Quia quem naturaliter effectum trahimus ad nos ipsos, eum ad alios transferit.

Respondeo. Errare sophistam illum, sed tamen, Non enim illum affectum, quo nos ipsi diligimus, ad alios transferre, sed eâ sinceritate, affectu, alacritate, solitudine nos ferri ad benefaciendum proximo vult, quo erga nos ipsos sumus. Hæc igitur regula ponitur. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, vos facite & illis, à vobis vera caritas incipit, in primum definit. Amor nostri, regula est amoris in proximis. Quin vero amorem nostri, normam amandi proximi facimus, non de vitiosa φιλαυτία intelligit, sed de caritate quâ suâ quisque incolumitatem excedit ratione, & gratia diligit, accipit volumus. Est etiam amor sui quidam naturalis, nullo modo vitiosus, de quo Seneca Epistola 6. Quid me hodie apud Hecatonem delectauerit, dicam. Quæris, inquit, quid profecerim? mihi mihi esse capi. Multum profeci, nunquam erit solus. Qui sibi amicus est, seiro hunc omnibus amicis esse optime sanè.

Nec sibi, sed toti gentium se credere munda.

VERSUS

40. noui

In his duobus mandatis uniuersa lex pendet & propheta.

QUESTIO I.

Quomodo ex caritate pendet uniuersa lex & propheta?

§. 1. Causam reddit, cur hoc præceptum sit maximum, quod ab eo uti primario cætera dependant, quod id prophetæ præcipue propositum habuerint. Omnia enim ad illud diriguntur. Qui enim diligit proximum legem impleuit. Rom. 13. & omnis lex in vno sermone impletur. Galat. 3. Augustinus lib. 1. qq. Evangelic. quæst. 33. exponit, quomodo ex illa lege omnia dependant: quo modo in omnibus lex ista seruetur legibus, & in omnium mandatorum transgressione lex charitatis violeetur. Quæ principium est finisq; mandatorum.

Summa igitur huius præcepti est dignitas, sine quo cætera ingrata sunt creatori, ideoque frustra, hoc præceptum, si obseruetur saluti sufficit. Sola enim caritas est, quæ inter filios Dei, & filios Diaboli discrimen facit.

§. 2. Non consequitur hinc, nullum esse peccatum veniale, ut Calvinus in Antidoto Concil. Tridentini sess. 6. c. 12. Quæro, inquit, an vllum sit omnino quamlibet leue peccatum, quod non legis obsequantia repugnet? quæ enim vitiosa cogitatio obrepet in hominis animum, si totius Dei amore occupetur. Non autem satis sit legi, nisi cum diligenter Deus toto corde.

Respondet Bellarminus lib. 1. cap. 12. de amissione gratiæ, & statu peccati. Respondeo, inquit, Diligite Deum ex toto corde duobus modis intelligi potest: vno modo, ut

QVÆSTIO II

An dilectio proximi naturalis, an supernaturalis imperetur?

§. 1. **N**oua est ista disputatio, & quod deterius censeo, noua sententia. Caietanum legem à Deo latam, esse de amore naturali arbitratur, non autem de illo qui supra naturam infunditur. Aliud tamen scriptura dicitur. Diligere eum proximum oportet propter Deum, eadem quâ Deum amamus caritate, quâ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Deinde, proximi dilectio facit ad salutem, de illâ namq; dicitur. Hoc fac, & viues. Supernaturalis autem proximi dilectio hoc facit. Non potest autem natura peccato deprauata, tot occasionebus irritata, sine Dei gratiâ præceptum dilectionis implere, vt proximi etiam inimicum, nocentem, crucientem, occidentem diligit, & diligit, sicut semetipsum, seu vt Syrus loquitur, sicut animam suam.

Supernaturalis caritas imperatur.

Caput autem legis est, proximum diligere propter Deum. Nam amorem Dei proximi dilectio completur. Si enim Dei causâ proximum complector, certe Deum arctius diligo, cuius amor est causa hominē amandi. Quod si illa lex, quæ omnium finis est præceptorum naturalibus viribus potest impleri, non est ad legem seruandam opus gratiâ supernaturali: nec longe receditur à Pelagianismi blasphemîâ, gratiæ diuinæ negatrice, cum tamen Apostolus. Rom. 8. doceat, impossibile esse vt iustificatio legis in nobis impleatur, in quo infirmabatur per carnem. Ideo enim filius Dei venit, vt per eius gratiâ legem seruare possimus. Cur vero Deut. 30. 6. tam serîo dicitur: Circumcidet dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, vt possis viuere, omnes autem maledictiones has conuertet super inimicos tuos.

Proximus propter Deum diligitur.

Quorsum opus est cordis circumcisione, si aliud amandi proximi genus non requiritur, quam quod posset etiam præstare incircumcisus? Nam & Philistæus naturaliter amare proximum potest. Nec censendum illud maximum mandatum, si ad ordinem naturalem pertinet, ad vitam æternam est inutile. Multo minus ex eo lex pendet, & prophetæ.

§. 2. Rationes quibus hoc paradoxon astruunt, non modò infirmæ sunt, verum etiam sophisticæ.

Certus sit, inquit, amor in proximum, oportet. Neq; enim minus dubitare debes, proximum tuum à te diligi, quam tu ipse à te ipso. At proximum à te diligi dono caritatis supernaturalis infuso, id vero incertum est. Fieri enim potest, vt eo dono careas. Sane sine reuelatione cognoscere non potes te habere.

Respondeo. Duo assumi, & statui tanquam vera, quæ sunt falsa. Primum est, certum esse cuiquam, se sibi sic conciliatum esse, vt verâ & supernaturali caritate se complectatur, propter Deum. Nam nihil est facilius, quàm quid auriar naturalem loco spiritualis caritatis substitui. Ad supernaturalem opus est animam suam odisse in hoc mundo, vt in æternam vitam custodiant, at multi se amando perdunt. De illo amore spirituali ac diuino, nemo nisi reuelâre domino certus est. Decipi enim facile quisq; potest, & si vspiciam late-re vitia consueuerunt, in amore sui sunt abditissimæ latebræ. Non ergo de hoc amore certum quicquam habetur, nisi spe, & signis probabilibus.

Caritatis sua supernaturalis nemo certus est.

Alterum erratum ex priori natum est. Nempe certos nos esse de amore in proximum. Neq; enim de amore supernaturali certum esse necesse est. Quamuis enim bona illi ex animo precemur, constanterq; velimus. Non tamen constat, an non aliquid vitij, quod eum amorem vitiet, sit additum. Aut naturæ sit, non caritatis affectus.

Na

§. 3. Cur

idem sit ex toto corde, quod super alia omnia integrè, ac perfectè, vt nihil Dei amari antepositur, vel agetur. Altero modo vt semper acta Dei cogitetur, & diligatur, & sic animum Dei amari occupatum teneat, vt nihil obrepere possit, quod sit, non inquam contra, sed præter Dei, vel proximi charitatem. Priore modo fatemur imperari nobis, vt Deum ex toto corde diligamus. Sed cum hac dilectione negamus pugnare peccata venialia, ac per hoc falsum esse contendimus repugnare obseruantia legi, quamlibet leue peccatum. Posteriore modo fate-mur, nullam vitiosam cogitationem obrepere posse ei, qui totus in Dei amore occupatur: sed eam dilectionem, quæ propria est beatorum, nobis in hac vitâ non propriè imperari, sed tantum indicari assensimus, vt nimirum sciamus, quospen ac desideria dirigere debeamus.

§. 3. Occurrit tamen Pareus. [Sed est inanis il-lusio. Est in phrasi hebræa (Ex toto corde) non si-gnificat omnimodam perfectionem, sed sincerum cordis affectum, hypocrisis oppositum. Hoc tamen præceptum omnimodam actuale, & habituale dilectionis perfectionem, distictè semper præcipit. Secundo prior perfectionis modo etiam repugnant venialia. Sunt enim defectus; at omnis defectus repu-gnat perfectioni. Tertiò hoc summum est mandatum, ergo obligat, & perfectissimo sensu primum est & summum. Quartò de Dauide, Iosia, Zacharia illud it-ectori, nam supra dixit Dauidem & Petrum letaliter lapios.]

Respondeo ad 1. & 2. Requiro probationem eius, quod negauit Bellarminus, eam tertio loco adfert. Perfectissimo sensu est primum, & summum mandatum, ergo obligat ad omnimodam actuale, habituale perfectionem. Consequentiam quomodo probas? Deinde si probates, iam corruent illa, cap. 6. Sancti debent, possunt, esse perfecti in hac vitâ perfectione partium, non graduum, id enim Deus præcipit. Quâquam absurdum est, hoc præceptum ita obligare in hac vitâ, vt semper actu diligamus. Non imperatur nobis, quod Cherubim & Seraphim, quod ipse dominus leuis in celo præstat. Nam si nullam omnino interruptionem, aut diuisionem lex illa admittit, impij sunt leges ciuiles, & Academiae, quæ variis officiis, studiisq; homines distinent, quibus cum etsi habitua-lis dilectio Dei possit consistere, actualis tamè inter-rumpitur, aut si & actus amandi perseuerat, non tamè omnimodam habet perfectionem, dimidiato in alias curas animo. Quicunq; igitur aliud negotium præci-pit, contra hoc præceptum delinquit. Non enim per-fectissimo modo actualiter Deo inhaeret, cuius intè-tio in alia quæcunq; diuiditur.

Ad 2. Futilis paralogismus. Omnis defectus repu-gnat perfectioni. Ergo leuia peccata, quæ sunt defe-ctus, repugnant priori perfectioni. Non quicquid repu-gnat perfectioni, id repugnat omni perfectioni, non omnis defectus, repugnat omni perfectioni, quidam repugnat perfectioni graduum, non par-tiam, quidam vtriq;

Ad 4. Toto celo aberrat. Dauid & Iosias, cæteri-q; toto corde secuti sunt Dominum, sed non cum pec-carent mortaliter: cum Dauid adulterio, Petrus ne-gatione à Deo recederent, non illi tum corde seque-bantur Dominum, non hoc dixit Bellarminus. Sed eos toto corde secutos esse, cum rectè viuerent non peccando. Dauid cum Sauli parceret, Iosias cum re-gnum ab idololatria purgaret. Petrus cum paratus es-set in carcerem, & in mortem ire. Qui toto corde Deum sequitur, aliquando mutato corde recedit, quia mutabiliter sequitur. Adam in originali suâ iu-stitiâ toto corde diligebat Deum, nec tamen eius lapsus non fuit letalis.

Adam. Conzen in Euang. Tom. I.

§. 3. Cur vero, inquit, Deus proximum amari ex caritate imperaret infusā, cum illud præceptum sit omnino superfluum? Nam in mandato de Deo diligendo continetur. Qui enim Deum amare iubetur, etiam ad eos qui Dei sunt amandos astringitur.

Respondetur, Non esse superfluum, quod rem vberius & disertius explicat. Deum amare præcipimur, ac proinde id quod Dei opus est. Singulatim tamen id præcepit Deus, ne quispiam necessarium non putaret. Et videmus Iudæos sic legem interpretatos, ut inimicos odisse sibi permitterent. Eadem etiam ratione conficere aduersarij possent, decē præcepta Decalogi superflua esse, quod in his duobus contineantur: sed ablit blasphemia, ut dicamus, Dei verbum superflua nobis obtrudere. Quod si præceptum proximi diligendi ex primo pendet, quo Deum diligere iubemur, supernaturaliter est diligendus: nam hoc præceptum de charitate supernaturali omnes intelligunt. Cum igitur iam etiam expressē proximi dilectio proponitur, idem quod in primo præcepto implicite continebatur, nobis mandatur.

Quin & illud absurdum est. Postquam prima lege imperata est nobis proximi dilectio per caritatem infusā; altera deinde mandari, ut eum amore naturali complectamur. Nam eadem ratione dicendum esset, præceptum Dei diligendi esse naturalis ordinis: quod si illo præcepto tenemur omni modo Deum diligere, ita altero proximum diligere oportet.

Si enim non est præceptum diligendi Dei & proximi, supernaturalis erga Deum amoris præceptum, etiam mandatum de proximo diligendo includit: nec modo naturalis, sed etiam supernaturalis est dilectionis, quā proximum complectatur.

Plus hac lege à nobis postulari quam natura præstare possit, ostendit Augustinus Hom. 38. l. 50. homiliarum. Non solum in nouo, sed etiam in veteri testamento admonemur, fratres dilectissimi, qualiter perfectam charitatem tenere debeamus. Sic enim ipse Dominus in Euangelio dixit: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Tractemus ergo aliquantum de amore hominis in hominem: quia sunt amores hominum peruersi, ipse peruersē amat alterum, qui & se peruersē amat. Et deinde: Remoue ergo istos illicitos, quæramus licitos, incipit amor licitus à coniugio, sed adhuc carnalis est. Videtis quia communis est cum pecoribus: & passeres illi, qui personant, habent coniugia, & nidos faciunt, simul eua confouent, simul pullos nutriunt. Licitus quidem amor iste in hominibus: sed videtis, quia carnalis est. Secundus amor filiorum est, sed adhuc ipse carnalis est. Non enim est laudandus, qui amat filios, sed detestandus, qui non amat. Et paulò post. Alius est qui est propinquorum, iam iste videtur proprius hominum si non sit consuetudinis. Nam maior est amor qui extenditur ultra propinquos. Et: ab extraneis ad inimicos peruenit. Denique: Est & alia superior amicitia, non consuetudinis, sed rationis, quā diligimus hominem propter fidem, & mutuam beneuolentiam in istā vitā mortali. At superius quidquid iam inuenerimus, diuinum est, incipiat homo amare Deum, & non amabit in homine nisi Deum.

Gratiā præcepta seruamus.

Præcepta autem Dei impossibilia non sunt, faciliores autem sunt caritati: nam per eam implentur in nomine Saluatoris, non viribus præsumptis. Imò ultra ea facit libera caritas: qui autem suis viribus ea implere se posse putat, similis est Iudæis. Quæ verba sunt ipsius Augustini, qui de illo mandato dilectionis multa habet, de vera relig. c. 46. de doctr. Christ. l. 1. c. 22. de Spiritu S. lit. C. 36. & tract. 17. in Ioan. Epistol. 32. Quorum omnium summa est, non posse nostris nos viribus mandata obseruare, ideo ad Christum ab ipsā lege deduci, ut gratiæ adiutorio possimus, quod nostro Marte non poteramus.

VERSUS 42.

Dices: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? dicunt ei David.

QUESTIO I.

Quomodo Christus filius Davidis, & Dominus?

§. 1. **Q**uestionem illis Christus proposuit, ad quā ipsi respondere non poterunt. Non enim David & rex, & pater filium dominum appellat: Imò filius eius Salomon 3. Reg. 1. 19. *Servus regis dicitur.*

Respondere tamen solent nonnulli, propter Messia dignitatem id fieri, ut Iosephum pater & fratres adorarent. Num ego & mater, & fratres tui adorabunt super terram?

Verum quod ad Phariseos attinet, audierant illi toties vocari filium David à populo, & pueris, qui non quemlibet, sed Messiam eo nomine designabant: norant etiam Christum admisisse illum titulum, veluti legitimum: dixerat enim ita prophetatum esse, & si tacerent, lapides filio David acclamarent. Nolebant igitur villo modo indicare, aut concedere Christum esse Dauide maiorem. ne hoc continuo populus arriperet & discipuli, ut hominem pauperem Dauide ipsi præponerent. Hoc autem obseruandum est, ex circumstantijs esse argumentum firmissimum. David enim Christum vocat dominum suum, tum cum ipse imperaret, & filios haberet, inter quos tamen Christus non erat, quomodo igitur Davidis regnantis erat filius, quod de illis tum viventibus David posset intelligi: & tamen vocat eum dominum suum, ut qui tum esset? Nam oraculum habet: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedum tuorum. Tum ergo Christus erat, cum illi diceret hoc Deus, & dictum illi hoc à domino fuit, antequam Dauide reuelaretur. In eo igitur contradictio versabatur, quod non posset respondere, quomodo ex posteris Davidis longo post tempore nasciturus, iam tum Davidis regnantis filius diceretur. Non enim sciebat distinctionem dominum Davidis, & sedisse à dextris Dei. Nouatius adhuc Catholicus de Trinit. cap. 11. Et quomodo quā homo filius David, ita dominus David, quā Deus, nuncupatus est.

§. 2. Nihil vero opus est eorum argutiā, qui Psalmum illum in Ecclesiā non à Dauide, sed ab Ecclesia, in Ecclesia personā cantatum aiunt. Christi enim verbis repugnant. Christum ait Christus Davidis dominum appellari, & à Dauide in Spiritu, hoc est, Deo sic reuelante ita vocatum.

Quod si etiam ab Ecclesiā sic canente dictum est. Certè si illi Deus iam id dixerat, iam tum viuere necesse fuit. Non enim sedere iuberet ad dextram eum, qui nondum factus erat.

§. 3. Iudei Psalmum ab Eliezer seruo Abrahami dictum comminiscuntur, vel à Melchisedeco. Sed eos inscriptio refutat, est enim Psalmus David. Nec sedit Abraham ad dextram Dei, nec dominus erat Melchisedeci, ut cui decimas dederit Abraham. Nec veteres Iudei tale quippiam obiecerunt: nam recepta erat expositio de Dauide, & Messia. Cætera in Psalmo 109. exposita sunt.

CAPUT